

MERIONETH-SHIRE.



Montomerici Comitatus tergo Merioneth-shire, Britanice Sir Verioneth, Latine *Mervinia*, Giraldo *Terra filiorum Caneni*, ad sinum usque lunatum quem dixi, & Oceanum pertingit, quo ab Occasu ita pulsatur, ut non nullam ejus partem abripiuisse credatur. Ad Meridiem Dovy flumine à Ceretica per aliquot millaria dirimitur, ad Septentriones Caernarvoniam, & Denbighiam attingit. Ipsa vero inter montium conglomerations omnium totius Walliae terrarum (ut inquit Giraldus) *hispida magis & horribilis*. Habet enim montes altissimos, arctos tamen & in modum acus acutissimos, nec raro quidem, sed ciberrimos, & tanta equalitate consertos, ut in summis eorum verticibus pastores confabulantes, vel conviviantes, si concurrere forte statuerint, à mane ad vesperum vix convenienter. Numerosi ovium greges in his montibus errant, nec ullum est à lupis periculum, qui tunc per universam Angliam deleti creduntur, cum Eadgarus Rex Ludvallo harum regionum principi tricenos lupos in singulos annos *vectigalis* nomine imperaret. Quando enim (ut Malmesburiensis habet) *tribus annis hoc præstisset, quarto desistit, nullum se ulterius invenire professus*. Longo tamen post tempore nonnullos superfuisse ex testimoniosis omni exceptione majoribus certo constat.

Incolæ qui rei pecuariæ omnino sunt attenti, & lacticiinis vescuntur, butyro videlicet, caseo, &c. (quamvis Strabo Britannos nostros quasi casei conficiendi ignaros olim irriserit) statura, colore nitido, habitu visendo, & corporis lineamentis vix alteri in Britannia genti concedunt, sed ob præproperam Venerem, & otia male apud vicinos audiunt. Oppida habet rara, ad Ornum qua Dovy labitur, Mouthwy Commotus est notissimus, qui Willielmo alias Wilcock de Mouthwy, filio Gruffini Ap Gwenwynwin Domini Powisia juniori pro hæreditaria portione obtigit, per ejus autem è filio neptim ad Hugonem Burgh, & per ejus itidem neptes ad claras familias de Newport, Leighton, Lingein & Mitton.

Qua Avon flumen magis ad Occasum defluit, Dolegethle est viculus mercatorius à valle in qua conditur, sic dictus. Proxime mare in regiuncta Ardudwy, Arlech, olim Caer Colun abruptissima rupe castrum in mare prætendit, quod ab Edwardo Primo (ut ferunt incolæ) extructum, à situ nomen accepit. Arlech enim super saxum Britannis denotat. Sunt tamen qui Harlech vocant, & Pulchram rupem interpretantur. Cum domestico bello Anglia convulsa esset, David Ap Ienkin Ap Enion Britannis nobilis, qui à Lancastrensi familia stetit, pertinaciter contra Edwardum Quartum defendit, donec Gulielmus Herbert

Montes
admodum
editi.

Lupi in
Anglia
extincti.
Vide Der-
byshire
pag. 303.
& York-
shire.

Mouth-
wy.

Dolege-
thle.

Penbrochiæ Comes per medias Walliæ Alpes difficultimo itinere perrumpens, valido fragore in castra ita detonuerit, ut deditioce receperit. Incredibile fere est, quantas viæ impeditissimæ difficultates ille elutatus est, cum hic ascenden-
do repere, illic descendendo se cum suis quasi provolvore cogeretur. Vnde *Le Herbert*, via illa vicinis hodie vocatur. Superius in ipso agrorum confinio æstuaria inrepunt duo celeberrima, *Traith maur*, & *Traith bochan*, id est, *Æstuarium ma-*
jus & minus.

Nec procul hinc juxta Fastineog viculum via publica, sive militaris, quæ saxis constrata per montes hos præpeditos, & quodammodo invios dicit. Quam cum Britanni *Sarn Helen*, id est, *He-
lenæ strata*, nominant, Helenam Constantini ma-
trem, cujus multa, & egregia erant per Roma-
num imperium opera, constravisse par est ut ex-
istimemus. Nec procul abest *Caer-Gai*, id est, *Ca-
strum Caji*, à Cajo Romano aliquo extructum, de
quo magna & mira vulgus vicinum prædicat.

In Orientali agri parte *Deva* flumen è duobus fontibus exortum (unde nomen gestare cre-
dunt, *Dwy* enim illi vocant, quo nomine & bi-
narium numerum denotant, licet alii à divinitate, alii à nigro colore dictum contendant) & sta-
tim *Lhin-tegid*, Anglis *Pimble-meare*, & *Plenlin-meare* longe lateque diffusum integer transmeat,
& exit tantus, quantus venit. Nec enim *Guiniad* peculiares lacui pisces in *Deva* videoas, nec Sal-
mones in lacu, qui tamen in flumine paßim ca-
piuntur. Sed vide, si placet, lacum Poëtae An-
tiquarii versibus accurate depictum,

*Hispida qua tellus Mervinia respicit Eurum,
Est locus antiquo Penlinum nomine dictus,
Hic lacus illimeis in valle Tegeius alta
Late expandit aquas, & vastum conficit orbem.
Excipiens gremio latices, qui fonte perenni
Vicinis recidunt de montibus, atque sonoris
Illecebris captas demulcent suaviter aures:
Illud habet certe lacus admirabile dictu,
Quantumvis magna pluvia non effuat: atqui
Aere turbato, si ventus murmura tollat,
Excrescit subito rapidis violentior undis,
Et tumido superat contemptas flumine ripas.*

Hujus supercilie insidet *Bala* oppidulum im-
munitatibus dotatum, sed rarissimis incolis, & di-
ciisque incultissimis, nihilominus præcipuum fo-
rum montanorum.

Hugo Comes Cestrensis primus Normanorum hanc regionem dispositis præfidiis oc-
cupavit, cum Gruffinum filium Conani cap-
tivum teneret, sed postea ille hanc cum re-
liquo principatu recuperavit, posterisque re-
liquit, donec fatali periodo confecta, in Leo-
lino desit.